Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De horologio Pilati

Zeltner, Gustav Georg

Altdorphii, 1720

urn:nbn:de:bsz:31-130306

Visual Library

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

40

XXXVIII.

DE HOROLOGIO PILATI

Von

Pilati Hof-Uhr

DISSERTATIO ΣΤΟΧΑΣΤΙΚΗ

GVSTAVI GEORGII ZELTNERI
D. P. P. ET P. ALTORPHINI.

ALTORPHII NORIC.
TYPIS IOD. GVIL. KOHLESII ACAD. TYPOGR.
A. 1720.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BADISCHE
LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Q. D. B. V.

§. I.

DE *Horologio* in *Pilati* palatio Hierosolymis olim horas non tam *sonante* quam *signante* breviter sermocinaturi, non soliciti erimus de Instrumentis operibusque admodum diversis, & olim quidem usitatis, quæ *Solariorum*, *Horariorum*, *Gnomonicorum*, *Scioterricorum* a) atque *Hydraulicarum machinarum* b) nomine appellari solebant. Hæc enim, perinde uti de *Clepsydris* c) Veterum ampla tractatio, ad institutum nostrum parum faciunt, & satis est hactenus, tanquam exploratum præstruere, temporis spatia *jam ante Christum natum*, ut alibi, ita quoque inter Romanos, tam Clepsydris, quam artificiosis varii generis avtomatis, dimetiri, moris fuisse.

§. II. Multo vero minus est, cur operose inquiramus in *Modum*, gentibus quondam diversis, & Romanis præcipue, receptum, quo horas *umbra* aut *gnomone* d) in horonomiis e) indicatas, (ære campano enim malleo percusso nondum innotescebant) elapsaque *intervalla temporum* inde cognita, aliis significare solebant. Notum enim est, id vel tuba, aut cornu inflato, forte & tintinnabulis, lignoque pulsato, itemque *servorum* f) & *accensorum* voce proclamatum aut patefactum fuisse, plerisque videri.

§. III. *Hora* duntaxat *sexta*, qua *Christum* sub judice & militum petulantia in palatio *Pilati* extitisse, Divus *Johannes* g) inquit, quem *Marcus* h) hora tertia jam cruci fuisse suffixum affirmat, nos in præsenti opella paullulum occupatos habebit: ita, ut *Conciliatio* ex horarum, *Judaico* more & *Romana* consuetudine, ad horologium *Pilati* Romanum & Hierosolymitanum, dinumeratarum, utut ab aliis operose impugnata sit, veluti postliminio omnino petenda videatur.

§. IV. Alii quidem alia, & *multiplici via*, nodum hunc solvere,

 immo

a) *Conf.* Salmasium *Exercitt. Plin. ad* Solin. *f.* 445. *sqq. ed. Traject. ad Rhen. de his fuse differentem.* b) Vitruv. *de Architectura L. IX. c. IX. p.* 200. *ubi de Horologiorum rationibus ex instituto agitur ed. J. de Laet f.* 197. *sqq.* c) *De quibus* Petermannianas *Diss. II Lips. publ. conf.* d) πολος *Græce dicto, vid.* Salmasius *l. c. p.* 446. *sq. ubi & totum horologium hoc nomine appellatum esse observatur.* e) Alex. Aphrodis. *usurpatum nomen I.* 95. *Problem.* f) *Vid.* Salmas. *l. c. f.* 447. *a. coll. D. D.* Kettnero *Miscell. Lips. T. IV. f.* 22. *sq. Add.* Lindenbrog. *ad Censorin. c.* 23. *ex Varrone* g) *Cap. XIX.* 14. h) *Cap. XV.* 25.

immo nonnulli gladio quasi gordio perperam eum secare conati sunt, sed frustra. Quos inter eos primum numeramus i) qui *librariorum incuria* ϛ pro Γ exscriptum esse, sine codicum consensu præter illum, qui semper aliquid novi quasi ex Africa apportat, Cantabrigiensem *Bezæ*, & *Wechelianæ exemplaria*, perhibent. Ad quos his non dissimiles adjungimus, quibus pro horis *quadrantes* k) diei partes longe ampliores, neque illud quoque absque vi quadam in applicatione adhibita, substituere placuit. Vigilias certe *Noctis* cum Judæi & Romani quoque agnoverint, quadrantes tamen *Diei*, nunquam, quod sciam, commemorant, aut certe non numerant. Priores autem quanto insuper periculo se codicemque sacrum exponant, vel nobis tacentibus, omnes intelligent.

§. V. Probabiliores sunt sententiæ a *Dan. Heinsio* l) quondam, & a Cl. *Val. Ern. Lœschero* m) nuperrime, excogitatæ. *Illa* tertiæ horæ apud *Marcum* nominatæ *terminum*, *a quo* numerus initus sit, non diei, sed crucifixionis initium constituens; *Hæc* diem τῆς παρασκευῆς solennioris anticipatum aliquot n) horis ingeniose comminiscens. At verisimilitudinis robur ambæ non excedunt. Quandoquidem D. *Marcus*, non ita multo post o) *nonam* horam itemque *sextam* commemorans, clare significat de Judæorum diurna ad lucem enumeratione, sibi etiam ante sermonem fuisse, stylumque adeo absque indicio non tam cito a se immutatum esse edocet. De Judæorum vero anticipato die præparationis ad Pascha altum est in scriptis eorum, totoque codice *Pesachim*, silentium: in quo potius & apud *Maimonidem* in *Hilcot Chamez umazza*, aliosque systematicos scriptores, horæ ejus diei non aliter quam aliorum, & meridiana sexta dimidiatæque vesperæ nona definite, nominari solent p). Quibus proinde hanc ipsam, similesque in speciem contradictiones, adversus N. T.

i) *Post* Hieronymum *in Ps. LXXVII.* J. Camerar. Ussérium, Bynæum & G. Calixtum *Conc. L. VI. c. XII. f.* 395. *id pene adprobantem aut de conciliatione desperantem.* k) *a* Baronio, Jansenio, Arnoldo *in L. in tenebr. immo nostris quoque pluribus inculcatas, & male ex* Censorino *c.* 23. *per vigilias noctis probatas, fatente* Calixto *l. c.* l) *in* Aristarcho *ad Job. l. c. proposita & a Cl.* Gerh. de Mastricht *Edit. Wetsteniana N. T. A.* 1711. *artificiose adornata authore in notis probata.* m) Evang. Decim. *P. II* n. *IX. p.* 222. *sq. cui* DN. Kettnerus *l. c. accessit.* n) *Tribus puta, ita ut hinc hora IX pomeridiana festi inchoetur diei prima, similiter anticipata.* o) *comm.* 33. *sq.* p) *Quæ Vener. D.* Kettnerus *enim aliunde produxit ex Maimonide male intellecta sunt et prorsus huc non quadrant. Spatium prohibet, quo minus id ad oculum ostendamus.*

N, T. veritatem, magnopere urgentibus, armis certius ferientibus, ictuque fortiori occurrendum est.

§. VI. Nobis idcirco hæc mente expendentibus, a consuetudine Romanorum nondum discedere, sed eidem firmiter inhærere animo sedet: sic quidem, ut existimemus, *majores*, h. e. totum νυχθημερον complexas, & a media nocte inchoatas D. *Johannem* horas, sextamque, qua nox finitur, memorasse; D. *Marcum* vero Judæorum vulgarem tertiam, eamque diurnam ad vesperam usque, connumerandi rationem, genti suæ magis familiarem, usurpare maluisse. Quæ, ut supra jam sunt asserta, inpræsentiarum confirmare dubiisque motis obviam ire constitutum est. Eo autem ordine hæc disponemus, ut *primum* numerum, horarum XII, a prima luce ad seram vesperam, sicut Judæis, ita & Romanis, usu venisse non solum concessuri simus, sed etiam pluribus demonstraturi; præter eum autem vulgarem morem, alium quoque inter Quirites, XXIV horarum, receptum, & cum Romæ, tum etiam apud exteros degentibus, frequentatum fuisse, ut quimus, simus ostensuri. Unde facile erit *deinceps*, consideratis insuper locorum & personarum circumstantiis, tantam & tam vexatam discrepantiam in concordiam optabilem redigere.

§. VII. His ita comparatis largimur utique *Romanos Augusti* jam ævo, & forte diutius antehac, non tamen ab initio Reip. constitutæ (quia in legibus XII tabularum ejus rei & ne nominis quidem *horæ* fit mentio) numerum horarum, a summo mane ad occasum solis usque *duodecies* partitarum, sed, pro varietate Solstitiorum & Æquinoctiorum, contractarum magis aut productarum, vel æqualium etiam, iniisse. Quis enim dubitet, tempus illud hominum actionibus, experientia comprobante, commodissimum certa quadam mensura, necessitate pæne urgente, in partes certas, vel solo usu, fuisse distributum. Et si cetera omnia abessent, profecto vel notissimum ingeniosissimi illius nequam *Martialis* q) exeunte seculo primo famosissimi, sufficeret *Epigramma*, quo carmina sua *Domitiano Cæsari*, ut Euphemus traderet, hora X, sub vesperam, sequentem in modum rogat:

Prima salutantes atque altera continet* *hora*, * conterit
Exercet raucos tertia caussidicos.

q) *L. IV.* Epigramm. 8. *passim allegato.*

In quinctam varios extendit Roma labores:
Sexta quies lassis, septima finis erit:
Sufficit in nonam nitidis octava palæstris;
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est, Eupheme, *meorum;*
Temperat ambrosias cum tua cura dapes;
Et bonus æthereo laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte jocos: gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Jovem.

§. IIX. Non desunt vero etiam alia aliorum eadem de re & pervulgata, Romanos inter, consuetudine asserta. Namque & Cicero r), cujus verba quoque repetiit A. *Gellius*, horas non semel interdiu lapsas commemorat *septimam*, *decimam* &c. ac duodecim hujus spatii dimensiones solitas se quoque agnovisse non obscure condocet. Ita quoque *Seneca* s) horæ noctis *sextæ* meminit in Epistolis verbis disertis, eidemque mox *octavam* noctis subjungit: atque ita horas, perinde uti diei, XII nocturnas non insuetum fuisse cum viveret, inter suos, numerare prodidit. Et si denuo adscendas, ad initium seculi I. ipsiusque *Augusti* tempora, quibus extremis Poeta scripsisse plerisque creditur *Manilius*, ita de horis hisce diurnis XII inter primam lucem & extremam vesperam elapsis, is loquitur, ut omnem stylus iste paginam in Astronomico ejus faciat. Omittimus alios, ne in re aperta L. B.otio abuti velle videamur, & *Laur. Ramires.* de *Prado Pentecontarchum* consuli suademus ss).

§. IX. At enim vero ea de consuetudine *vulgo* recepta nos hoc loco non controversamur; sed illud est, quod scrupulum movet: Fueritne mos iste Romanis, vel ex usu solo, vel ex gnomone horas jam diu designante ac monstrante, receptus cum perpetuus, tum vero etiam *unice* probatus; ita ut de alia numerum horarum apud illos computandi ratione, & horologiorum quoquo modo eas indicantium demonstratione eapropter desperandum sit. Certe thesin, quam Vir quidam non ita pridem doctissimus t) hinc formavit paullo liberius: *Horas Romanorum tempore Christi nondum a media nocte, sed ab ortu solis incepisse*, neutiquam exsculpi hinc posse, pror-

r) Philippica *IIda coll.* Gellio *L. VII. c. XI.* s) *Epist. CXXII.* ss) *cap.* 23. t) *D. D.* Frid. Ern. Kettner *Antistitis Quedlinb.* Observ. Lips. Miscell. *P. IV. Obs. ord. LXXIV. qua de horis Pass. Christi eleganter disserit p.* 1. *sqq. P. cit.*

prorsus nobis persuademus. Tametsi haud difficulter frequentissimum fuisse in quotidianis negotiis, *œconomicis* aut *literarius*, istum *trivialem* numerandi modum omnino ex hisce testimoniis, præsertim *Martialis* illo luculentissimo, horasque diei partite dinumerante, quod solum etiam Vir doctissimus adduxit, pateat.

§. X. Restat itaque, ut alium quoque præter hunc, ea jam tempestate, qua ο θεος εφανερωθη εν σαρκι inter Romanos locum habuisse commonstremus. Quod ut effectum dare perspicue & solide possimus, præmittemus *Censorinum* u) a viro paullo ante laudato quoque allegatum, ac præcipuum ejus hac in re, & definitum de modo distincte diem numerandi Romanorum, assertum. Ita vero ille: *Dies partim naturalis partim civilis. Naturalis dies est tempus ab oriente sole ad solis occasum, cujus contrarium est tempus nox ab occasu solis usque ad exortum; civilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno cœli circumactu, quo dies verus & nox continetur. (Hic constat ex integro solis ambitu, qui in 24. partes æquales* (h. e. horas) *dividitur, dictus* νυχθημερος, *quæ dicuntur æquinoctiales.*) xx) Equidem de Horologiis explicate nulla in his mentio injicitur, sufficit autem utramque eum divisionem, & quidem tanquam haut insolitam, neque ut recentem admodum apud Romanos, sub initium seculi III. aperte commemorare.

§. XI. Eadem ex tempestate, nec dissimili antiquitatis indicio facto, in *Pandectis* x) *Justinianei Corporis juris* hoc de more testatissima verba leguntur, jam tunc in monumenta literarum relata: *More romano dies a media nocte incipit & sequente noctis media parte finitur. Itaque quicquid in his XXIV. horis i.e. duabus dimidiatis noctibus & luce media actum est, perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset.* Quamvis enim collectio Digestorum seculo demum VI. auctoritate Cæsarea instituta sit; tamen *Julii Pauli*, Jureconsulti, ea, quæ recitavimus, verba cum sint, istius quoque ætas ad initium seculi III. quo inde a *Septimio Severo* juri dicendo præfuit, testimonium hoc revocandum esse jubet, & quando *morem romanum* inculcat, eundem non ut recentem, sed tanquam vetustum commendat. Ut omittamus, his ipsis verbis, uti a *Censorino* factum, *rerum civilium* dijudicandarum occasione clarissime horarum XXIV, & moris utriusque, lucis nimirum in suas quoque horas partiendæ, haud obscuram significationem fecisse.

§. XII.

u) *De* die natali c. 23. x) *L. II. Tit. XII. de* Feriis *l. 8.* xx) *Verba hæc in Lindenbrogiana editione non reperiuntur, alia tamen plura quæ rem eandem fusius exponunt.*

§. XII. Ad superiora secula (retrogrado enim ordine progredi lubet) conversis *Plutarchus* y) occurrit, Polyhistor ille illustris, qui inter *Quæstiones romanas* docte evolutas eam quoque profert ventilatque ex professo: Διὰ τι τὴν τῆς ἡμέρας ἀρχὴν ἐκ μέσης νυκτὸς λαμβάνουσι; & *respondet*, hac de causa illud factum & adhuc *fieri*, quod constitutio Reip. principio fuerit militaris, in re vero bellica pleraque noctu ante capi consilia, & actionem ordiri sub ortum solis volentes apparatui noctem destinasse. Addit & alias rationes, a meridie nimirum publicarum & seriarum rerum plerumque fine, atque aliunde desumtas; quas nostrum nunc non est vel recitare, multo minus excutere. Etenim ex hisce breviter & per compendium adductis abunde liquet, tunc temporis seculo nimirum II. ineunte, quo vixit *Plutarchus*, hunc, diem a media nocte inchoandi, ritum in Romana Rep. jam fixum, & adhuc, ab antiquo tempore, fuisse observatum usuque tritum. Quandoquidem in præsenti forma loquendi, & tanquam de re solita scriptor accuratissimus heic disserit, sibique comperta & veluti quotidiana plane enunciat.

§. XIII. Plutarcho paulo antiquior dilucidius eo de argumento agit *Plinius* z). Quippe qui, *ipsum diem*, inquit, *alii aliter observavere. Babylonii inter duos solis exortus: Athenienses inter duos occasus: Umbri a meridie in meridiem: Vulgus omne a luce ad tenebras: Sacerdotes Romani, & qui diem diffiniere civilem, item Ægyptii & Hipparchus, a media nocte in mediam*, & reliqua Ex quibus sane perspicue elucet, a tempore matutino ad vespertinum usque, diei seu lucis horas numerare *vulgi* quidem fuisse consuetudinem, cum quo etiam doctissimi scriptores, quales erant supra commemorati, uti alias, loqui solebant, & accommodatione hodieque haud infrequente usi loquebantur. Atenim ex adverso *præstantiores* rerum *sacrarum* curatores & *civitatis* magistratus, in negotiis sibi demandatis, illam XXIV horarum distinctionem secutos esse tantum abest ut inficietur, ut hoc ipso eos *a vulgi more secernat. A. Gellium* utrique vicinum de industria h. l. omisimus, quoniam commodiori occasioni deinceps a) ad ejusdem testificationem de vetustiori ætate provocare nos posse speramus.

§. XIV. *Senecam* b) hinc potius subjungimus proxime antecedentem *Neronis* præceptorem, qui, quantumlibet alibi horas diei *natura*-

y) Quæst. Rom. 84. *T. II. f.* 284. *ed. Xylandr.* z) Histor. Natur. *L. II. c.* 77.
a) §. *XVI.* b) *Epist. XII.*

naturalis (quem *artificialem* alii vocant) nominasset, priori tamen aliquo loco diem, tempus esse XXIV horarum, tradidit. *Ideo*, ita verba habent Philosophi acutissimi, *Heracletus*, *cui cognomen scotinon fecit orationis obscuritas*: *Unus*, *inquit*, *dies par omni est*. *Hoc alius aliter accepit*: *dixit enim parem esse horis*; *nec mentitur*: *Nam si dies tempus est XXIV. horarum*, *necesse est omnes inter se dies pares esse*: *quia nox habet*, *quod dies perdidit*. Nec est quod dicas ex hypothesi tantum eum loqui. Evidenter enim vel ex *postremis verbis* colligitur, de *usitata*, inter suos, *partitione* diei noctisque, conjunctim spectatarum, eum sermocinari: & reliqua etiam jam producta testimonia id uberius constabiliunt.

§. XV. *Virgilium* c) animus non est, testem huc advocare. Quando enim in *Æneide*:

Jamque dies cœlo concesserat *almaque curru*
Noctivago Phœbe medium *pulsabat Olympum*.

canit, discessum fortassis solis ipsumque occasum, cum aliqua latitudine, cursum nempe diu ante peractum, eum intelligere, dicere aliquis poterit. Neque etiam id opus esse arbitramur, eo quod alius Poeta æqualis rem eandem dilucidius enunciat, *Manilius* d) puta, in temporum dierumque mensura describenda ex instituto occupatus. Etenim, cum multa de terrarum rationibus, pro vario ad solis decursum positu & inclinatione locorum, horas diversimode in illis numerandas esse docuisset, ita tandem de Romano inquit orbe:

Quando aliis aliud medium est, *volat hora per orbem*:
Atque ubi se primis extollit Phœbus ab undis,
Illis sexta manet, *quos tum premit aureus orbis*.
Rursus ad Hesperios sexta est, *ubi cedit in umbras*.
Nos primam ac summam sextam numeramus utramque,
Et gelidum extremo lumen sentimus ab igne.

Quibus verbis, nisi fallimur, vates eruditissimus expresse profitetur, Romanos *mane*, *sole adhuc gelido*, *exoriente* e) sc., & sextam summam, i.e. finitam, & primam simul inchoatam, pro ratione Horologiorum diversa, numerasse. Quo pacto etiam difficillimus sensus patet, qui & il-

 lustrem

c) *L. X. Æneid. vers. 214. sq.* d) *Astronomici L. 1. p. 20. ed.* Bœclerii *A. 1655. Argent. in qua hæc lectio restituta est. Vixisse autem Augusti tempore inde patet, quia cladis Varianæ disertis verbis meminit extremo fere L. 1. hujus ed. f. 28. med. Romæ autem scripsisse inde liquet, quod* hujus *urbis*, *quam* Remus *condiderit*, *mentionem apertam fecit.* e) *Ita ipse quoque* Scaliger, *& recte*, *ut putamus*, *sententiam Poetæ exponit. Not. ad h. l. f. 81. v. 30. ed. Argent.*

Iustrem *Jos. Scaligerum* f) mirifice torsit, ut lituram multam prioribus Comment. editionibus in postrema emendatione a *Bœclero* procurata induceret, nec tamen vel sic satis sibi satisfaceret.

§. XVI. Superest his omnibus antiquior illustris *Varro*, ex quo is, quem ante de industria prætermisimus, *A. Gellius* g) fuse & copiose refert: *Populum Romanum dies singulos annumerare a media nocte usque ad mediam proximam; hinc sacra Romana partim diurna esse, partim nocturna: sed ea tamen, quæ inter noctem fiunt, diebus addici, non noctibus.* Similiter *auspicari eodem die*, inter eos perhiberi, *qui post mediam noctem auspicentur.* Porro *nullum diem abesse Roma Tribunis plebis licere*, & tamen, *qui post mediam noctem proficiscantur, atque post primam facem ante mediam sequentem revertantur, non dici abfuisse unum diem; quando ante horam noctis sextam regressi parte aliqua illius in urbe Roma sint*: & cetera. Reliqua enim excerpere brevitatis studio nihil attinet nec vacat. Illud observamus, præter numerum XXIV horarum initum etiam hoc loco horæ noctis sextæ mentionem injici mediam finientis, ex *vulgari* scil. usu cum altero *civili* conjuncto desumtæ: unde denuo *gemina* numerandi horas consuetudo, qua noctem, quave diem, a νυχθημερον, alias itidem recepto notatoque, distincta subindicata perspici potest.

§. XVII. Singularis est hominis Judæi *R. Nathan b. Jechiel* vulgo בעל ערוך dicti, in ערוך seu Lexico Talmudico majori narratio: qua ad vocabulum צרור, *sapientes Gentilium*, scripsit *confecisse coram Regibus imagines*, quibus *dederint in manus XXIV. lapides, iisque supposuerint pelvim magnam æneam, finitaque quavis hora ab imagine projici lapidem unum in pelvim istam, cujus sonus per totam audiatur civitatem, atque hinc inter eos horas cognosci.* Idque artificiosum horologium צרור שעה a Talmudistis suis appellari addit, & ad Tr. *Celim* ipsamque *Mischnam* c. XXVI. Th. 4. provocat. Quemadmodum vero ipsæ circumstantiæ hujus descriptionis ad animum altius revocatæ fabulam olent, quamvis, (ut solent Judaicæ esse historiæ, ab exteris præsertim petitæ,) mixta vera falsis conjuncta sint: ita de veritate ejusdem

f) *Is enim, quæ ed. A. 1579. & 1600.* utrique *pro* utramque *ex ingenio emendando & plura alia in alium sensum interpretando scripserat, sua ipse manu in tertia editione deleri jussit, teste* Bœclero *Præf. ed. Argent. præfixa in fine.* g) Noct. Attic. *L. III. c. 2. tot. ex quo sua descripsit eademque fere repetiit* Macrobius *L. I. c. 3.* Saturnalium: *quod, nisi fallor, ad supra allegatam L. ff. de Fer. 8vam annotavit etiam* Gothofredus.

dem jam dudum *Buxtorffio* vel eo quoque nomine ſcrupulus ortus eſt, quod l. c. Miſchnæ, de Machina quadam, horas ſignificante, neutiquam agi obſervarit, ſed, uti nos quoque eandem evolventes vel primus obtutus docuit, *de Ligamentis utrium*, ad tempus aut nodo perpetim duraturo conſtrictis, ſermo ſit Doctoribus Miſchnicis, mundis an immundis? ob certas cauſſas declarandis. Quoniam vero in animum inducere haud poſſumus, tantam fuiſſe *Præſidis* iſtius *Academiæ Judæorum* Romanæ αβλεψιαν, ut ex l. c. ineptiſſime quaſi per ſomnium hæc deduxerit, *refragantibus* omnibus *Magiſtris* & ipſo *contextu* orationis vel obiter inſpecto *obloquente;* credibilius eſt, alibi forte in *Gemara* eum tale quiddam legiſſe, & memoriæ nimis confiſum Tr. *Celim* pro altero genuino loco citaſſe. Quæ quidem non magnopere curanda eſſent, niſi Judæis hujus tanti viri maximi habita exiſtimatio, & antiqua, jam in ſec. X & XI confiniis clarentis, auctoritas, ſi quid adverſus noſtra *Johannis* verba, ut *Marco* αντιλεγοντα, moveant, quod aſſolet fieri, *Judæi*, illis opponi & κατ' ανδρωπον pugnantibus uſui eſſe poſſet. De *Romanis* enim, & vetuſtis quidem, quia ad *Talmudicum Corpus* provocat, eum agere moremque hunc ab iisdem attribui Gentibus vix dubitamus eum credidiſſe.

§. XVIII. Ex hiſce itaque, ſaltim Romanis teſtibus, omni exceptione majoribus, nos tandem (ut ad *ſcopum* propius accedamus noſtrum) *primum* concludimus: Falſum eſſe, diu poſt Chriſtum natum paſſumque, Romanos a media nocte cœpiſſe in XXIV horas diem diſtributum exordiri, ſed inſtitutum illud multo eſſe vetuſtiſſimum. *Deinde* hinc amplius colligimus, & *vulgarem*, & *civilem*, utramque ſimul horarum dimenſionem, inter eos, ab Auguſteo jam ævo, & quod excedit, certo modo & uſu, obtinuiſſe. Ad poſtremum *denique*, neque hoc temere negari poſſe, hinc efficimus; Si illud horas ad utrumque modum connumerandi tam diuturnum inſtitutum, inter *Sacerdotes* potiſſimum & *civilium rerum Curatores*, ut a *Plinio* diſertis verbis ſupra h) memoriæ proditum eſt, locum habuit; hos quoque, & publice & privatim, uti Clepſydras ſuas, ita quoque Horologia, horas *majores* (ita enim appellare liceat) aliquo modo deſcribentia, præſto habuiſſe, & forte neglecto vulgi horas numerandi modo, quæ *Plinii* notabilis eſt obſervatio, in publicis negotiis huic ſoli conſtanter inhæſiſſe. Quam etiam ob rem diligentiſſimus *Salmaſius* i), poſteaquam multa de horologiis antiquorum diſputave-

h) §. XIII. i) *l. c. ad Solin. f. 454. b. fin. ſqq. ed. Traject.*

taverat, quæ posita ad templa & in foro Romano dicuntur fuisse, propter indicatam in illis variam, ex æquinoctiis & solstitiis ortam, diei naturalis productionem & contractionem, ea *solis Mathematicis & Astronomis usui fuisse*, ad extremum addit; atque sic Majoribus illis haud dubie antiquioribus amplissimum locum vacuefacit, difficultatibus istis, ut supra *Seneca* notabat, haud obnoxiis, sed æqualiter semper procedentibus.

§. XIX. Finita hac Romani & fori & vulgi consideratione generali, jam Hierosolymam divertimus, & in palatium *Pilati*, in quod *Christus* a Judæis ira pæne rabidis summo mane k) d. XIV aut XV Lunæ l) abductus abreptusque est a *Caipha*, ingredimur; non tam spectaturi in præsentia, quid illic passus sit *Sospitator* optimus, quam *Tempus*, quo adhuc ad tribunal constitutus fuit, quod *sextam horam Johannes* nominat, ad examen accuratius revocaturi. Heic ergo civilem horas dimetiendi rationem, eamque Romanam, tum temporis inter Romanos usurpatam esse plane persuasum habemus; eamque Divum *Johannem* consulto sectatum expressisse, in definienda hora actorum maxime commemorabilium, credimus. Idque ob caussas, si non animum omnino cunctorum convincentes, maxima tamen *probabilitate* ad assensum invitantes.

§. XX. Certe neminem esse opinamur *Primo*, qui dubitet, uti *Præsides* & *Legatos* in Provincias Roma subinde emissos, ita quoque *Procuratores* m) (επιτροπους) Palæstinæ, in metropoli Hierosolyma degentes habitantesque, quemadmodum *Sacra sua* ritu Romano, ita quoque reliqua *civilia* & *œconomica* more patrio instituisse. Id sane hodieque, & nunquam non Oratoribus quoque, qui magistratus non sunt, ad tempus huc illuc ablegatis & commoratis alicubi, sæpissime usu venit. Imo in ipsa urbe Roma pro ea libertate, in rebus acces-

k) Johann. *XVIII.* 28. *coll.* Matth. *XXVII.* 2. & *ipso* Marco *c. XV.* 1. ευθεως επι το πρωι l) *Neque enim de Paschate Christi* ταυρεσιμω *disceptare cum quoquam placet, sed malumus* επεχειν, *postquam argumentis plausibilibus, post doctissimum* Calmetum, *Gallosque alios*, Toynardum *ac* Lamyum, *noster quoque eruditissimus D.* Deylingius *Obs. XXXVII. Tom. II.* Obs. Lips. Miscell. *Christum agnum paschalem plane non comedisse, sed eo ipso, quo edendus erat, tempore, tanquam* αντιτυπον, *in crucem actum, & pro delictis omnium mortalium mactatum assatumque esse, demonstravit.* m) *Sic a* Josepho & Tacito *appellantur, quanquam prior aliis honorum titulis præcellentioribus sæpe abutatur &* ηγεμονας *voccet hos Procuratores particulares.*

accessoriis etiam, v. g. ad Galliæ consuetudines, tuenda, sicut & a ceteris legatis summorum Principum, propugnatur mascule. Quæ sane ad ἀναλογίαν revocata præsenti negotio plurimum lucis affundunt. Hæc itaque si ita comparata sint, verisimillimum est, uti alia instituta, ita nec horas diei naturalis XII. dimetiendi, *Judæorum* ritu observatas, tum, etsi forte Romæ idem *vulgo* fieret, *Pilatum* ejusque domesticos esse secutos; quippe a quorum moribus non solum cum detestatione abhorruisse prorsus exploratum est *Romanos*, sed etiam, si qua in re ægre illis facere possent, suamque dissensionem privatim atque publice testari, (quod haud raro & *signis militaribus* in urbem illatis aliisque modis cum discrimine seditionis factitatum legimus,) dedita opera id eos molitos esse & perfecisse, nemo ignorat. Unde denique etiam in horis & horologio, sive simpliciter numerando, sive hydraulicis forte, ut nocti simul inservirent, adhibitis machinis, aut quibuscunque aliis, notanda dimensione, commissum esse, valde est credibile.

§. XXI. Ad primam hanc *secunda* accedit ratio, ex ipso munere *Pilati* sumta: Id enim, in *judicando* caussaque *civili* occupato civilis distinctionis quoque horarum notandæ observandæque, ex Romanorum consuetudine, uti dictum est antea, ansam omnino præbuit. Eoque magis, ut ad Majores XXIV horas, a nocte media deductas labentesque, animadverteretur, in isthoc negotio & in illa caussa tam gravi, opera danda fuit: quia gestorum, quod facile præsagiebat animus, accuratissima enarratio ad *aulam cæsaream*, declinandæ invidiæ & Judaicarum calumniarum n) tam devitandarum quam diluendarum caussa, perscribenda ratioque reddenda fuit. Ubi sane styli, in civilibus Romæ usitati, & in dicasteriis recepti, quantum ad *ordinem* gestorum & tempus quoque presse *definiendum*, retinenda erat forma: ea nimirum, qua ad mediam noctem, ac proinde sub initium lucis, sextam puta & reliquas ordine nominandas horas respici, ceu supra lex ipsa nos edocuit, solitum erat. Idemque tanto proclivius est, ac pæne necessarium dictu; quoniam *Pilatum* reapse cuncta ad *Tiberium* retulisse, superstite adhuc *Tertulliani* o) JCti testimonio cognitum habemus: quod & Cl. *Hasæus* p) pecu-

n) *Propter quas etiam, ad æquitatem alioquin proclivis, insontem necari improbe jussit.* o) Apologet. *c. V. & XXI. ubi* omnia Cæsari nuntiasse *scribit, coll. Euseb. L. II. H. E. c. 2. &c.* p) *Diss. de* Decreto Tib. Imperat. quo Christum referre voluit in numerum Deorum *Hanov. A. 1609. propos. & A. 1715. recus.*

peculiari ſchediaſmate ab accuſationibus ποδειας variis vindicare haud infeliciter conatus eſt, & porro ſe vindicaturum contra Cel. *Heumannum* pollicetur. His poſitis autem, quid mirum, quod & *Joannes*, Hiſtoriam S. inter Epheſios Romano jure utentes conſcribens, eodem ſtylo, ne quam lectoribus ſuſpicionem moveret, uſus ſit.

§. XXII. Sed hæc non ſola nobis cauſſa videtur eſſe, ut potius, cur ſanctus *Evangeliſta Johannes* 3) eandem quoque horas apud Romanos numerandi conſuetudinem imitaretur, propterea colligamus factum eſſe; quoniam rei in *Dicaſterio Romano* peractæ, cui ipſe cum judæis, per *familiarem præ cæteris* Apoſtolis *converſationem* capite XVIII q) indicatam, *penitius* in aulam Procuratoris *admiſſus*, interfuit, rationem habuit, atque hinc *circumſtantias* varias notabiliores, & hanc quoque ſigillatim diſtinctius conſignans, formulæ Romanorum Horas majores in hiſce negotiis numerantium ſeſe accommodavit. Immo etiam in ipſo *Horologio* in atrio ædium ampliſſimo, publice fortaſſis, *propoſito*, ad moris Romani imitationem, horam eandem *gnomone* deſignatam, per hydraulicam aliquam aut aliam machinam moto, conſpicatum eſſe, eamque firmiter *memoria* retinuiſſe, *conjecturam* facere non dubitamus. Huic autem notitiæ in ſcribendo deinceps ea *inſpirans* Spiritus S. (etſi non *revelans*) ſicuti alias factum eſt r) ſæpius, *dictitando* ſe attemperaſſe, monere haud neceſſe eſt. Ut Epheſum quoque, ubi ſcripſerit Johannes, eapropter in auxilium vocare nihil attineat.

§. XXIII. Lubentius profecto hanc *conjecturam* aliis anteponimus, eo, quod 4) *actus* iſte Jeſu Chriſti *condemnandi*, tam ſolenniter quam impie, non in conclavi interiori & ordinario loco, cauſſis agitandis deſtinato peractus, ſed forinſecus εν τοπω λυθοστρατω, (cum Judæi, culicem hac in parte denuo percolantes, ſine periculo immunditiei, quaſi ſub dio, adeſſe poſſe putarent,) ſententia, poſt *extremam diſceptationem*, pronunciata eſt. Quem locum, quando alii in dubio verſantur ubi collocandus ſit, *ſtadium* fuiſſe, ex Joſepho s) ſatis exploratum habemus. Ubi, ſi *Vitruvium* t) amplius audiamus, in *Atrio* ſeu *Area exteriori* eum quærendum eſſe, cui *adjacebat* u) *Porticus ſtadiata* ac deſuper tecta, infra *muſivo opere* ſtrata, intelligemus. In

q) *Comm. XVI.* r) *Conf.* Luc. I. v. 2. *ſq. Add. B. I. H.* Majus *ſen. Diſſ. de* Inſpir. Scr. S. §. X. f. 9. *ſq.* s) *L. XVIII. A. I. c.* 4. *f.* 621. *ed. Colon. ſeu Lipſ.* t) *L. V. de Architect. c. XI. add. not.* Philandri & *Lex. Vitruv.* Baldi. u) *Hinc dicebatur* גבתא *non ab Elevatione* (Hochpflaſter) *ſed ex Syro-Chald. Lingua*, *ſeu* Hieroſolymitana *mixta*, *a* גבב colligere, גבא latus, & גב juxta, apud, &c. Adjuncta ædibus ſtructura, *ein* Anbau *Germ. commodiſſime reddenda eſt.*

In Atrio vero hocce, ut domesticorum omnium conspectui expositum esset, Horologium forte positum fuisse, iterum mos Romanorum condocefacit. Ubi in ipso urbis foro solaria etiam publice collocata, itemque apud ædem Quirini, ad Rostra, atque alibi; inprimis vero illud a *Cornelio Nasica* procuratum celeberrimum, sub tecto dicatum & communi tamen usui propositum fuisse, *Plinius* auctor est, nec *Vitruvius*, antiquior, de aliqua hujusmodi machina in *Circo Flaminio* constituta hujusmodi quid commemorans, ac recentior paullo *Censorinus*, eadem l. c. repetens, dissentiunt.

§. XXIV. Hæc sunt, quæ de Horologio *Pilati* quasi divinare placuit, in quo *Majores* horas, *ut hodieque Romæ fit*, cujusque consuetudinis nondum initium demonstrari potuit recentius, signatas fuisse numeratasque maxime plausibile est; tametsi diei naturalis mensionem certam, horasque duodenas, quod itidem Romæ, & simile quiddam alibi v. g. *Noribergæ simul* x) fit, *vulgo* & a vulgo potissimum, *Plinio* teste, usurpari potuisse non abnuamus: immo usurpatas esse perfacile largiamur. Sed objici nobis posse videtur *primo:* Nusquam legi horas particulatim XXIV numeratas a Romanis fuisse, etiamsi a media nocte diem civilem inchoatum concedant. *Respondemus* vero: Partim *Manilium* y) aliud testari, si quidem mentem ejus recte perceperimus; quippe qui numeri, & *sextæ* horæ, quam prima sequebatur, *& primæ* diurnæ lucis, clarissime meminerit. Deinde etiam *Plinius* l. c. hanc majorum horarum dinumerationem *observasse* sacerdotes & *magistratus* supra explanate ajebat. Denique numerum XXIV horarum initum sine enumeratione partium ordinata distinctaque, & quidem usitata, affirmare & perinde uti totum sine partibus, animo concipere, repugnat. Quam ne ipsi quidem Judæi, ab occasu solis diem suum exorsi, omnino repudiant. z) Quod vero monumenta plura exemplis nos haud iustruant luculentioribus, injuriæ temporum, qua *sacerdotalia* & *civilia* acta periere pleraque, in caussa est.

§. XXV. *Alterum* quod moveri possit dubium a *Tempore* judicii, primo mane a Pilato suscepti & infeliciter finiti, suppeditatur. Illud enim non diluculum, sed tertiam diei naturalis horam, alioquin fuisse *Martialis* ante citatus a) expresse docuit. Enimvero neque hunc difficile est e via removere scrupulum. Quis enim inficietur, multa in processu illo, uti injuste, ita quoque præcipitantius & nimis

x) *ubi vocantur* die gröffere und kleinere Uhr. y) §. *XV.* z) *Conf. l. a D. D.* Kettner *ex Comm. in* Maim *f.* 30. *l. c. alleg.* a) §. VII.

nimis festinato acta, propter Festum ingruens, a Judæis caussam hanc obtendentibus & instantius urgentibus, immo etiam, contra jura ceteroquin sua b) etiam noctem ad eam rem adhibentibus, admissa esse? *Pilatum* autem Judæis, extra ordinem, in respectu etiam ad tempus multa gratificatum esse, seditionis evitandæ gratia, omnino liquet. Ceterum, si opus esset, neque Romanos anticipare horam solitam judiciorum dubitasse, testimonio *Juvenalis* c) constat, qui,

Hæc quota pars scelerum, quæ custos Gallicus *urbis*
Usque a Lucifero, *donec lux occidat, audit.*

memoriæ prodidit, atque his verbis clarissimis, si necessitas exposceret, ante solis etiam ortum, caussas cognoscere haud fuisse insuetum, in ipsa urbe, ostendit.

§. XXVI. Sola ergo restat *Johannis* a *Marco* discrepantia. Cujus conciliatio cum perfacilis jam sit, ex *Horologio Pilati* hunc in modum *restituto*, nec ratio Romani moris a Johanne in hora determinanda eligendi, ex superioribus obscura esse queat; jam animadvertimus tandem, quod in pluribus circumstantiis passionis & mortis Christi dudum observatum est, Judæos & Ethnicos in eadem negotiosos fuisse, ut quorum causa *Jesus* mortuus esset, ad crimina eorum, omnium nempe mortalium, expianda, illud ipsum etiam, sicut tituli confessione, Linguis utrinque receptissimis concepta, ita *hora* a Judæis partim apud *Marcum*, partim a *Paganis* (*Græcis*, ut *Paullo* audiunt, quo & *Latini* pertinent) desumta subindicaretur. Id quod sagacioribus amplius animo reputandum commendamus, neque enim in re tam abstrusa quicquam temere definire audemus. Tantum abesse satis est, nullam d) discrepantiæ Evangelistarum rationem reddi posse, ut plures etiam præsto sint haud difficulter eruendæ.

§. XXVII. *Nostrum* denique *erit*, concordia inter Evangelistas inita firmataque, eaque ex moribus populorum diversorum deducta, Deum T. O. M. supplici ter precari, ut, sive surgamus de lecto, sive in negotiis nostris susceptis procedamus, sive cum die inclinante ad quietem inclinemus, immo *singulis horis* auditis, sanctissimi meritissimique *Sospitatoris* nostri semper *meminerimus*, non levi tamen cogitatione & superficiaria, sed *fide viva* eum *amplexi*, constantique *patientia imitati*, & cum illo, tam patiendi quam vivendi sancta perseverantia, conjunctissimi permanentes, eo tandem transferamur, ubi *horis* quibuscunque *silentibus*, & tempore omni desinente e), cum glorificato Liberatore, in omnem æternitatem, ab ipso, tunc ex justissimo tribunali pronunciante judice, immunes a culpa pœnaque declarati, regnemus & refocillemur.

b) *Conf. Venerandi Dn. Antist. ad Spir. S.* Hoffmanni *nostri disp. de Processus Crimin. Synedr. M. adv. Salv. nostrum &c.* Anomalia *Jen.* 1693. *hab.* c) Satyr. XIII. v. 157. *ed.* Farnab. 12. *f.* 127. *ubi per Gallicum custodem* Gallum Rutilium *sub* Domitiano *præfectum intelligi bene notatur: Adde ad Job. l. c.* Edm. Merillum. d) *Quod Venerabilis D. D.* Löscherus *in Decimis l. c. f.* 222. *objicit.* e) *Apoc. X. 6.*

I, A

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg